

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Matronae munificentissimae Dorotheae Friedericae
Lucretiae de Pelcke, natae de Bernhold in Eschau, ...
parentabunt ... cives ...**

Sachs, Johann Christian

Carolsruhae, 1769

"Fuere praeter tantos tantasque Principes [...]"

[urn:nbn:de:bsz:31-116002](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-116002)



ipsa fuit virtutis indoles, ita ut virtus in aliorum pectore altas ageret radices, summo studio contendit. Principes nepotes sollicitè formavit optimos; Gymnasii nostri cum Serenissimo CAROLO AUGUSTO, fratre CAROLI WILHELMI EUGENII, Celsissimae Principis in tutela successore, non mediocrem habuit curam; misellos homines, cum paupertate conflictantes, suis opibus juvit, atque adhuc juvat post fata; juvenumque animi, qui propius attingere ad ipsam videbantur, ut liberalibus artibus imbuti patriae olim usui essent ac commodo, studuit. Testamento igitur mille Imperiales reliquit, quorum foenore juvenes, quos de baptismatis fonte susceperat, aut, si horum numerus defecisset, inopes alii litterarum cultores alerentur.

Fuere praeter tantos, tantasque Principes viri foeminaeque tum nobili tum honesto loco nati, singularique in litteras litterarumque cultores amore insignes, quorum laudabili satis atque egregia liberalitate quum adhuc fruuntur nostrates, eorum memoria apud nos nunquam senescet.

Memorandus omnium primus, ut tum temporis ordinem, tum virorum dignitatem servemus, CHRISTOPHORUS WERTWEINIUS. Is in antiquissima patriae nostrae urbe, Pforzhemii, (ecquis patriam ignorat REUCHLINI, qui toti Germaniae decus ac lumen intulit,) natus, cum sacro se statui dicasset, temporis progressu ad summos honores evectus. In Academia Tubingensi aliisque summa industria litterarum studiis operatus Theologiae Doctoris dignitate ornatus est. Protonotarius Apostolicus a Pontifice Maximo, ab Imperatore Comes Palatinus creatus, Canonicus Augustanus, Ecclesiae
Cathe-